

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0703

0701

0707

0697

0712

0692

0752

0652

0802

0602

0202

Ende

Anfang

130

visitare locum. Sic ergo (230 A) vir a nobis recessit.  
Vespere facto exspectavimus quasi usque ad solis occasum,  
aestimantes, quod vir nobis illusisset. Sed ecce, filius ejus  
Abre, forte XIX annorum, venit cum uno famulo ad nos in  
montem Syon et duxit nos per vicos occultos Jerusalem us-  
que ad portam Ephraim, quae est porta S. Stephani, et ad  
ecclesiam, quae iam est Mameria, venimus. Qua reserata  
muscheam ingressi sumus et de ecclesia in ambitum transi-  
vimus. Ad latus autem ecclesiae est una fenestra super ter-  
ram, sicut fenestrae habitaculorum, in quibus operantur tex-  
tores, vel sicut sunt fenestrae cellariorum, per quas lumen  
et aer ingreditur. Et per illam fenestram est ingressus ad  
locum nativitatis beatae Virginis, quia ostium cryptae, quod  
erat in ecclesia, obstruxerunt infideles, quia de loco illo nulla  
est eis cura. Unus ergo peregrinus pedibus primo intromissis  
in fenestram deorsum in cryptam se dimisit, qui inferius stetit,  
et singulis pro scala fuit; habuit enim manus erectas ad pa-  
rietem, et descendere volens primo pedes posuit super suas  
manus, et inde alium pedem super caput, vel humeros ejus,  
et de humeris resiliebant in terram, et ita omnes super illum  
peregrinum, qui erat miles insignis genere, descendimus in  
locum, et accensis candelis, quia tenebrosum erat, circuire  
incepimus. Venimus autem in unum specum, in quo dicunt  
primo fuisse sepultos Joachim et Annam, parentes beatae  
Virginis Mariae. Deinde progressi in aliam subterraneam ca-  
pellam venimus latiorem, quae quondam erat pulchre depicta,  
et ibi creditur esse beatissima Virgo Maria nata. Incepimus  
autem ibi jocundis vocibus cantare carmina de nativitate bea-  
tae Virginis, signata in processionali terra sanctae, et indul-  
gentias (++) plenariae remissionis accepimus, et terram juxta  
morem peregrinorum deosculati sumus. Sub choro ecclesiae  
est locus ille sanctus, ubi fuit triclinium, in quo genuit Anna  
beatam Virginem Mariam, sicut locus nativitatis Christi est  
sub choro ecclesiae bethlehemitanae, in confutationem menda-  
cissimi Alchorani, qui ponit, ipsam Virginem Mariam natam  
in Aegypto, et esse filiam Mirjam, sororis Aaron, ut patet  
supra fol. 140 B. Viso ergo loco, iterum unus peregrinus  
per alios adjutus per fenestram sursum in ambitum ascendit,

